



The Holy See

FRANCISCUS

EPISTULA DATA

MAURO S.R.E. CARDINALI GAMBETTI

Venerabili Fratri Nostro

MAURO S.R.E. Cardinali GAMBETTI

Archipresbytero Papalis Basilicae Sancti Petri

“Ac videtur Nobis Beatissima Virgo Maria, quae per totius suae vitae cursum – cum in gaudiis, quibus suavissime affecta fuit, tum in rerum angustiis atrocibusque doloribus, quibus martyrum Regina exstitit – numquam a Divini Filii sui praeceptis exemplisque vel minimum discessit, videtur Nobis, inquit, ea verba nobis singulis universis repetere, quibus Canae nuptias celebrans, convivii administris Iesum Christum quasi digito indicans, eos allocuta est: «Quodcumque dixerit vobis, facite» (Io 2,5)” (Pius XII, *Fulgens corona*, 2). Haec verba Praedecessoris Nostri recte explanant pondus pietatis erga Beatam Mariam Virginem in fide uniuscuiusque Christi discipuli. His de rebus meditantes, epistulam Venerabilis Fratris Roberti Carboni O.F.M. Conv., Archiepiscopi Metropolitae Arborensis, accepimus, qua ipse humanissime postulavit ut ad LXX anniversariam memoriam incoronationis simulacri Beatae Virginis a Remedio Arboreae celebrandam adque pietatem renovandam erga Dei Genetricem inter fideles huius regionis, Nos Patrem Purpuratum seligeremus, qui hoc in fausto eventu personam Nostram gereret.

Ad te, ergo, Venerabilis Frater Noster, qui studiose munus Archipresbyteri Papalis Basilicae Sancti Petri exerces, animum Nostrum convertimus, cui hoc opus magni ponderis committere decernimus.

Idcirco, harum Litterarum virtute, Te **MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM** nominamus, mandatis tibi factis, ut nomine Nostro Arboreae die VII proximi mensis Septembris Missae celebrationi in LXX anniversariam memoriam incoronationis simulacri Beatae Virginis a Remedio praeesse valeas. Spiritualem Nostram dilectionem omnibus christifidelibus atque hominibus bonae voluntatis ibi congregatis renunties ac omnes ad praeceptum adhortaberis caritatis diligentiore etiam modo tum in familiis tum publicis in adiunctis servandum.

Tibi, Venerabilis Frater Noster, Benedictionem impertimus quam omnibus, qui celebrationibus intererunt, transmittes, ex qua uberius fructus spirituales ii sumere possint. Legationem tuam ardentibus precibus comitamur, a Deo misericordiae suppliciter exposcentes, ut, Beatae Virginis a Remedio intercessione, per eiusdem Filii contemplationem legationem tuam fructuose adimplere valeas.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXXI mensis Augusti, anno MMXXII, Pontificatus Nostri decimo.

FRANCISCUS

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana